AUTHOR:

GESSLER, FRANZ

TITLE:

DE LEGIONUM ROMANARUM APUD...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1866]

Master Negative #

93-81180-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Gessler, Franz, 1844-
De legionum Romanarum apud Livium numeris; dissertatio inauguralis antiquaria quam... publice defendet auctor Franciscus Gessler... Berolini, typis expressit Gustavus Lange, [1866]
32 p. 19½ cm.

Thesis, Berlin, 1866.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: ______ INITIALS m.DC.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

LEGIONUM ROMANARUM APUD LIVIUM NUMERIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANTIQUARIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. M. JULII A. MDCCCLXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS GESSLER

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

EUGENIUS BORMANN, PHIL. DR.
ALFREDUS DE SALLET, PHIL. DR.
CAROLUS DE SCHMIDT, JUR. STUD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

Fons uberrimus, quem Livii annales nobis praebent ad cognosendas artes et pacis et belli, quibus imperium Romanum creverit „in eas vires, quas vix terrarum cepit orbis“, nondum adeo exhaustus est, ut non mihi quoque aliquid sit relictum, quod cum aliqua scientiae rei militaris Romanae utilitate promptum iri spero.

---

§ 1.

Ex quo tempore respublica Romana pluribus legionibus, quam una uti solebat, provisum fuisse necesse est, ut unaquaeque haberet, quo a ceteris discerneretur. Nostris temporibus in hunc usum usurpari solent aut nomen ducis, aut numeri; sed Romanis legionibus nomen ducis indi ideo non poterat — ut taceam de moribus Romanorum liberae reipublicae, a quibus id abhorrebat — quod legio liberae reipublicae temporibus unum ducem non habebat. Itaque numeris legio-

nes Romanae discernebantur, qui jam in prima Livii decade haud raro nobis occurrunt. Quae fuerit horum numerorum vis atque natura hannibalici belli certe temporibus, discimus ex Polybio, qui cum dicat (VI, 19): „Διεῖλον σφᾶς αὐτοὺς οἱ νεώτεροι τῶν χιλιάρχων καθάπερ ἂν ὑπὸ τοῦ δήμου κατασταθῶσιν ἢ τῶν στρατηγῶν εἰς τέτταρα μέρη .... καὶ τοὺς μὲν πρώτους κατασταθέντας τέτταρας εἰς τὸ πρῶτον καλούμενον στρατόπεδον ἔνειμαν“ etc. non solum docet, legionibus Romanis numeros publice esse inditos, sed etiam id factum esse, priusquam legiones ipsae conscriberentur, in tribunorum divisione. — Neque solum in tribunis dividendis et dilectu habendo horum numerorum usum fuisse, sed potius legiones eos retinuisse ut notas publice attributas per totum annum, ejus rei certissimum documentum est lex repetundarum (C. J. L. I, p. 58), in qua iis magiestratribus, qui ea lege tenebantur, adnumerantur „tribuni militum legionibus quattuor primis aliqua earum“. Nam cum in lege, cujus auctor prae ceteris id spectare debet, ut verbis utatur accuratis neque ulli dubio obnoxiis, supervacaneum visum sit, adjicere, quae essent legiones quattuor primae, manifestum est, id per se apparuisse i. e. legiones quattuor primas numeris suis cognosci potuisse.

---

§ 2.

Non minus aperte, quam legiones quattuor primae ab ceteris discernuntur, inter legiones quattuor primas ipsas nonnullae diversitates intercedunt.

Ac primum quidem ex Polybio (VI, 19) constat, stipendiis tribunorum militum legiones fuisse diversas. Nam cum crearentur quattuordecim tribuni militum, qui quinque stipendia meruerant, decem, qui decem stipendia meruerant, primae et tertiae legioni quaterni tribuni illius, bini hujus generis, secundae et quartae terni illius, terni hujus generis attributi sunt.

Sed stipendiis tribunorum militum non solis legiones quattuor primae inter se diversae erant. Narrat enim Livius (42, 32), in ipso apparatu belli secundi Macedonici tres et viginti centuriones tribunos plebei appellasse, quod a tribunis militum dilectum habentibus inferiores ordines iis attributi essent, quam quos antea duxissent. Quibus cum tribuni auxilio se fore dixissent, Sp. Ligustinus quidam oratione in tempore composita effecit, ut appellationem remitterent, neque dilectui impedimento essent. Propter quod meritum tribuni militum in *prima legione* primum pilum ei adsignarunt. Videtur igitur prima legio singularem hono-

ris gradum obtinuisse. — Idem docet, quod dicit Polybius, tribunos militum in legiones divisos esse, ut quisque primus factus esset („καθάπερ ἂν ὑπὸ τοῦ δήμου καθασταθῶσιν“). Nam priorem fieri cum in aliis magistratibus honorificum ductum esse constat, tum de tribunatu militari Livius aperte indicat cum dicat (7, 5): „Cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri, secundum in sex locis tenuit (T. Manlius)“. Itaque cum primis legionibus ii assignarentur, qui, cum primi essent creati, prae ceteris honorati ducebantur, non dubium est, quin inter legiones eadem honoris diversitas intercesserit, quae inter tribunos militum.

Ceterum nemo, qui apud Polybium [1]) legerit, quomodo Romani dilectum instituerint, non videt, hanc diversitatem legionum non fuisse tam magnam. Ut essent legiones viribus quam maxime pares, prae ceteris quaesitum esse manifestum est. Neque si honore secunda legio primae multo fuisset inferior, quarta tertiae, tribuni militum sic divisi essent, ut secundae et quartae legioni terni tribuni, qui decem stipendia meruerant, assignarentnr, primae et tertiae bini.

1) Polyb. VI, 20.

§ 3.

Consules legiones inter se divisisse sortiendo docet Liv. 22, 27 „Ita obtinuit, ut legiones, sicut consulibus mos esset, inter se dividerent. Prima et quarta Minucio, secunda et tertia Fabio *evenerunt.*“ — et Liv. 42, 32: „*Legiones inde sortiti sunt:* prima et tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent“.

Quo tempore facta sit sortitio, ex eodem Livii loco (42, 32) cognoscitur, cum post verba citata pergat: „Dilectus tum consules multo intentiorem, quam alias curam habebant.“ — Sortiebantur igitur consules, antequam legionum dilectus haberetur, sed postquam numeri legionam jam constituti erant. Quod cum secundum Polybium (VI, 19) fieret ipsa tribunorum divisione, consules sortitos esse post tribunos creatos et in legiones discriptos judico.

Quae cum ita sint, consulibusque sorte nihil aliud, nisi tribuni militum et simul cum iis numeri legionum attribuerentur, nihil obstat, quominus consules tum quoque sortitos esse statuamus, cum provinciarum sortitione exercitus iis jam designati essent; id quod evenit, ubi consuli alteri provincia extra Italiam de-

creta erat, quae jam exercitu obtinebatur[2]) (32, 1. 32, 8. 37, 50, et saepius). Itaque anno 586 in Macedonia se-

2) Egregium exemplum praebent legiones, quibus M. Acilius Glabrio rem adversus Antiochum gerebat. Eas a. 562 M. Baebius Tamphilus praetor in Graeciam trajecerat (35, 24). Eodem anno senatus decrevit, „ut consulibus (sequentis anni) Italia et quo senatus censuisset — jam esse bellum adversus Antiochum omnes sciebant, — provinciae essent. Cujus ea sors esset, quattuor milia peditum civium Romanorum et trecenti equites, sex milia socium Latini nominis cum quadringentis equitibus sunt decreta. Eorum dilectum habere L. Quinctius consul est jussus, ne quid moraretur, quominus consul novus, quo senatus censuisset, extemplo proficisci posset.“ (35, 41). — „Cui Graecia evenisset, ut praeter eum numerum militum, quem L. Quinctius consul in eam provinciam ex senatus consulto scripsisset imperassetve, ut eum exercitum acciperet, quem M. Baebius praetor anno priore ex senatus consulto in Macedoniam trajecisset.“ (36, 1). Evenit Graecia M. Acilio Glabrioni (36, 2), qui edixit „ut quos L. Quinctius milites conscripsisset, et quos sociis nominique Latino imperasset, quos secum in provinciam ire oporteret, et tribuni militum legionis primae et tertiae, ut ii omnes Brundisium idibus Maiis convenirent.“ (36, 3). Weissenbornius (ad h. l.) tribunos militum tunc demum trajectos esse dicit, cum legiones jam priore anno trajectae essent, quod a Baebio Romam suorum visendorum causa dimissi essent; sed haec explicatio et per se vix probari possit neque deest multo melior. Legionibus quattuor primis tribuni quotannis creabantur a populo, ut ceteri magistratus. Tribuni militum, quos Brundisii adesse jubet Acilius, ii sunt, qui in tribunorum a populo creatorum divisione primae et tertiae legioni adsignati erant et quos sorte ei evenisse ea de causa necesse est credamus, quod et consules post tribunos militum divisos sortitos esse ostendimus, neque aliter explicatur, quomodo Acilii legiones, quas a M. Baebio accepturus erat, nominatae sint prima et tertia.

cundam legionem invenimus[3]), quamquam P. Licinius Crassus a. 583 eo primam et tertiam trajecerat[4]), quae ibi manserunt usque ad a. 587[5]). Quae numeri mutatio, cum legiones eaedem essent, nescio quomodo facta sit nisi sorte. — Quam ob rem casu factum esse censeo, ut L. Cornelius Merula cos. 561 in exercitu habêret legionem secundam[6]), ut is, cui successerat, Ti. Sempronius Longus cos. 560.[7])

Si ambolus consulibus Italia provincia cum prioris anni exercitibus decreta erat, senatus plerumque id

3) Liv. 44, 37, 41. 45, 35.

4) Liv. 42, 32.

5) In Macedonia easdem legiones mansisse a. 584, 585, 586, 587 constat diserto Livii testimonio (43, 12. 44, 21. 45, 16). Anno 584 ibi easdem fuisse, quas a. 583 Licinius eo trajecerat, quamquam non diserte apud Livium legitur, cum ea pars libri quadragesimi tertii, in qua de provinciis et exercitibus a. 584 referebatur, desit, tamen nemo negabit, qui secum reputaverit, Romanos in provinciis transmarinis, ut in Hispania, Africa, ipsa Macedonia primi belli Macedonici temporibus haudquaquam, ut in Italia post Hannibalis discessum, quotannis fere legiones dimisisse et novas conscripsisse, sed potius supplementis frequentibus providisse, ne aut legiones infrequentes fierent, aut ii, qui in transmarinis provinciis militabant, nimis longa militia premerentur.

6) 35, 5.

7) 34, 46. — L. Cornelium Merulam legiones accepisse a Ti. Sempronio Longo inde verisimile est, quod Merula, literis Sempronii in Bojos rebellionem spectantes excitus, secum duxit socios Latini nominis et tumultuarios milites, sed legiones nullas (34, 56); et quod Ti. Sempronius Merulae legâtus nominatur 35, 5.

modo statuebat, qui exercitus consulares essent[8]). Itaque quomodo hi inter consules dividerentur, aut altera sortitione eos statuisse credendum est, aut inter se comparasse.

Id modo cautum fuisse censeo, ne singulas eorum legiones in sortem conjicerent, sed binas legiones, quae exercitum efficiebant. cf. Liv. 25, 3: „Alter (consulum) a Q. Fabio superioris anni consule, alter a Fulvio centumalo acciperet.“ 28, 10: „Consulum alteri, quem C. Claudius prioris anni consul, alteri, quem Q. Claudius propraetor — eae binae legiones erant — habuissent exercitum.“

Ad cognoscendum sortitionis modum, quo usi sunt consules, multum mihi haec computatio valere videtur: Septies apud Livium legiones inter consules sic divisas invenimus, ut alter haberet primam et tertiam, alter secundam et quartam (Liv. 27, 2. 27, 41. 34, 46. 36, 3. 40, 25. 40, 41. 42, 32.) Hanc divisionem sorte factam esse diserte affirmatur 42,32; sed etiam de aliis, quos citavi, locis idem statuere non dubito, cum consules sorte uti in dividendis legionibus solitos esse constet (22,27. 42,32.) neque quidquam iis annis, de quorum legionibus consularibus ex locis citatis con-

8) Ut utrique consuli in Italia bellum gesturo certae legiones decernerentur, perraro est factum (27, 7.)

stat, obstaret, quominus more majorum uterentur.

Aliis locis legiones ita divisas esse legimus, ut prima conjuncta esset cum quarta, secunda cum tertia. Sic Liv. 22,27., ubi deserte adjicitur, hanc sortitionem esse factam eodem modo, quo consules uti solerent; sic Liv. 41,1. —

Legionem primam nunquam conjunctam inveni cum secunda, tertiam nunquam cum quarta. Plures loci, quibus cognoscitur, quomodo legiones inter consules divisae sint, nobis innotuisse mihi videntur, quam ut statuamus, casu factum esse, ut in iis esset nullus, quo alter consul legioni primae et secundae, alter tertiae et quartae praeesset. Potius causa hujus rei fuisse mihi videtur sortitionis modus, quem eum fuisse judico, ut legio secunda nunquam ei consuli obvenire posset, cui prima obvenit, quarta nunquam ei, cui tertia. Id autem nunquam fieri potuit, cum consules primum legionem primam et secundam in sortem conjicerent et sortirentur, utri prima, utri secunda obveniret, tum tertiam et quartam. Hoc igitur modo consules in dividendis legionibus usi esse mihi videntur. —

Haec habeo, quae proferam, spectantia ad rationem, quae intercedebat inter legiones quattuor primas. —

Jam me converto ad ea, quae spectant ad rationem, quae intercedebat inter legiones quattuor primas et ceteras, si forte numerorum legionum nobis traditorum auxilio aliquid inveniatur, quo legiones quattuor primae a ceteris discernere easque cognoscere possimus, etiamsi numeri desunt. —

Quod priusquam aggrediar, de numerorum traditorum, quibus tota haec disputatio nititur, fide aliquid adjiciendum mihi videtur. —

§ 4.

Legionum Romanarum numeri et in iis partibus librorum Polybianorum, quae ad nos pervenerunt, sunt rarissimi, neque in iis locis Livianis, quos ex Polybio sumptos esse certis documentis demonstrari potest, usquam inveniuntur. Nam ex duobus locis, qui quamquam omnino ex Polybio sumpti esse videntur, tamen legionum numeros continent, (Liv. 24, 36. et 44, 37 et 41.) alteri (44, 37 et 41.) hunc numerum aliunde insertum esse demonstravit Nissen;[9]) neque quidquam obest, quominus idem de altero (24, 36) statuamus. —

[9]) Kritische Untersuchungen über die Quellen der vierten und fünften Decade des Liv. p. 266.

Itaque numeri, quibus per insequentem disputationem usuri sumus, nobis traditi sunt ab Livio sumpti ex annalibus, quos omnino per tertiam, quartam, quintam decades praeter Polybium ejus fontes fuisse constat. Quorum annalium fidem variam esse nemo est, qui ignoret. Certa enim et vera haud dubie ea sunt, quae sciptores eorum sumpserunt ex annalibus pontificum, cujus generis sunt nomina magistratuum, sacerdotum demortuorum et suffectorum, alia, quae exitu et initio uniuscujusque anni apud Livium legimus spectantia ad rempublicam administrandam. In hujusmodi locis si quando legionis numerus occurrit, rectum eum esse, non minus persuasum nobis esse debet, quam nominibus praetorum temere fidem abrogaremus. Sed ex haud exiguo numero legionum, quarum numeri ab Livio nobis traditi sunt, haud sane multi hac auctoritate nituntur; nititur enim ea, praeter legionem primam et tertiam Acilii, (36, 3), secundam Popillii (4, 27), primam et tertiam Licinii Crassi (42, 32), fortasse etiam primam et tertiam A. Postumii Albini, secundam et quartam Q. Fulvii Flacci (40, 41), nulla. — Ceteri numeri inveniuntur in iis partibus librorum Livianorum, quarum auctoritas admodum est suspecta, cum contineant descriptiones pugnarum cum Gallis vel Celtiberis factarum plenas non accurate relato-

rum vel aperte fictorum. — Nihilominus ne hi quidem numeri, quamvis iis, quos paullo antea enumeravi, auctoritate multo inferiores, non sunt contemnendi. Nam etiamsi facile concedo, annalium scriptores, quorum libris Livius utitur, ut singula referendo accurate narrare viderentur, non dubitasse, legionis certae mentionem descriptionibus suis inserere, etiamsi certo auctore carerent, tamen magnopere eos cavisse censeo, ne aperte mentientes ab legentibus deprehenderentur. Nihil quidem per legentes obstabat, quominus numerum hostium occisorum augerent, vel interfectorum Romanorum minuerent, neque id admodum curare opus erat, ne, ubi legio prima et tertia pugnabant, de legione prima referrent, quod legio tertia vel neutra fecerat. Sed non potuerunt legioni tertiae provinciam assignare, quam obtinere aut lege aut more majorum prohibebatur. — Itaque num qua lege aut more legionum divisio recta sit, etiam ex his numeris discitur, immo, quo majore temeritate annalium scriptores in harum pugnarum descriptionibus usi sunt, eo magis, si legionibus numeros certa lege inditos invenimus, eam legem fuisse certam et notam censebimus, quae etiam hujusmodi homines teneret. —

§ 5.

Legionum consularium hi numeri apud Livium extant:

Legiones.	Nomina ducum.	Anni u. c.	Loci Liviani.
I, IV.	M. Minucius Rufus mag. eq.	537	22, 27
II, III.	Q. Fabius Maximus dictator.		
I, II, III.	L. Aemilius Paullus C. Terentius Varro coss.	538	22, 53
I.	M. Claudius Marcellus cos.	540	24, 36
III.	Q. Fulvius Flaccus cos. . . .	542	25, 14
I, III.	M. Claudius Marcellus cos. .	544	27, 2
I, III.	C. Claudius Nero cos.	547	27, 41
IV.	Q. Minucius Rufus cos.	557	33, 22
II.	M. Claudius Marcellus cos. . .	558	33, 36
II.	M. Porcius Cato cos.	559	34, 15
II, IV.	Ti. Sempronius Longus cos. .	560	34, 46
II.	L. Cornelius Merula cos. . . .	561	35, 5
I. III.	M'Acilius Glabrio cos.	563	36, 3
II.	Q. Marcius Philippus cos. . . .	568	39, 10
I, III.	L. Aemilius Paullus cos.	572	40, 25
I, III.	L. Postumius Albinus } coss.	574	40, 41
II, IV.	Q. Fulvius Flaccus }		
II, III.	A. Manlius Vulso cos.	576	41, 1
III.	L. Valerius Flaccus cos.	578	41, 17
II.	C. Popillius Laenas cos.	582	42, 27
I, III.	P. Licinius Crassus cos.	583	42, 32
II.	L. Aemilius Paullus cos.	586	44, 37 41

Inter has legiones consulares quinque et triginta — neque plures apud Livium inveni — nulla est, quae non habeat numerum aliquem ex quattuor primis. Sunt autem legiones consulares, quarum numeros scimus, tot, ut sine temeritatis specie contendere posse mihi videor, legiones consulares necessario fuisse quattuor primas. —

Atque eo confidentius id affirmo, quod nihil profero, quod non ex consulatus natura et reipublicae Romanae institutis facile explicetur. Nam iis temporibus, ex quibus numeri legionum supra enumerati nobis traditi sunt, etiamtum consules erant ordinarii duces belli. In provinciis et exercitibus decernendis, senatus prae ceteris consulum rationem habebat.[10] — Provinciae, in quibus bellum erat, consulibus sunt mandatae (39,38. „Consulibus Ligures, quia nusquam alibi bellum erat, decreti"). —

Praetoribus exercitus tum demum sunt traditi, cum pluribus quam duobus ducibus et exercitibus opus esset. — Ut consules erant ordinarii duces, ita ordinarius exercitus, quo imperium defendebatur, constabat ex quattuor legionibus; neque plures, quam

[10]) cf. Liv. 40, 36: „Disceptationem inter praetorem legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari provincias, priusquam de praetoris exercitu ageretur, aequum censebant."

hae conscribebantur, nisi majus periculum majores copias postulabat. Itaque consulum legiones, ut ordinariorum ducum, quattuor primas esse nominatas, non admodum est mirum. Sed numeri legionum consularium Liviani eo maxime sunt memorabiles, quod docent, consulibus honorem ducendarum legionum quattuor primarum etiam tum remansisse, cum senatus multis cladibus acceptis doctus esset, non sine magno reipublicae detrimento eas legiones, quibus praeesse propter vires hostium, quibus oppositae erant, maxime honorificum erat, earum imperio quotannis immutato, consulibus assignari, neque semper eas legiones quattuor primis adnumeratas esse, in quibus prae ceteris reipublicae spes posita erat: neque eae legiones, quae apud Zamam, neque eae, quae apud Cynoscephalas vicerunt, in quattuor primarum numero habitae sunt.

Si consulum legiones necessario sunt quattuor primae, haec tria inde consequi nemo est, qui neget:

1. Legiones, quibus praetor, aut magistratus, cui imperium prorogatum erat, praefuit, numerum ex quattuor primis non gerebant.

2. Ea legio consularis, quae neque dimittitur, neque consuli insequentis anni traditur, alium numerum accepit, atque superiore anno habuerat.

3. Ei legioni, quam consul accepit a praetore, aut magistratu, cui imperium prorogatum erat, item alius numerus inditus est, atque habuerat superiore anno.

Jam videamus, quomodo numeri legionum, quibus consul non praeest, has conclusiones et simul cum iis id, unde sunt ductae, aut confirment, aut refutent. —

§ 6.

Traduntur ab Livio legionum, quibus consul non praefuit, hi numeri:

Legiones.	Nomina ducum.	Anni u. c.	Loci Liviani.
III.	M. Claudius Marcellus praetor.	538	22, 57
I.	Cn. Fulvius Flaccus praetor.	542	25, 21
VI.	C. Claudius Nero propraetor.	543	26, 5
IV.	P. Cornelius Scipio Africanus procos.	544	26, 48
V, VI.	Cn. Fulvius Centumalus procos.	544	27, 1
XVIII, XX.	M. Claudius Marcellus procos.	545	27, 14
XIX, XX.	A. Terentius Varro propraet.	547	27, 38 cf. 28, 10
XII, XIII.	L. Cornelius Lentulus procos.	549	29, 2
V, VI.	M. Pomponius Matho praet.	550	29, 13 cf. 14
XI, XIII.	M. Cornelius Cethegus procos.	551	30, 18
XII.[11]	P. Quinctilius Varro praetor.		
V.	C. Calpurnius Piso propraet.	569	39, 20
VIII.	L. Quinctius Crispin. propraet.		
V, VII.	Q. Fulvius Flaccus propraet.	573	40, 30 31

11) Has tres legiones nominat Livius (30, 18) ex iis quattuor, qui anno 551 contra Magonem, fratrem Hannibalis, in agro Insubrum pugnant. Quomodo inter duces fuerint divisae, ex pugnae descriptione facile cognoscitur. Nam cum in prima acie fuisse di-

Ex his legionibus viginti et una, quarum numeros apud Livium inveni, duodeviginti optime cadunt in opinionem nostram, legionibus, quibus consul non praefuit, numeros inditos esse, majores quam quattuor. Sed tres cum ea aperte pugnant, quare de iis fusius agere cogimur.

Ac primum quidem de legione tertia classica M. Claudii Marcelli Livius haec habet (22,57): „M. Claudius Marcellus mille et quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam, ut praesidio urbis essent, mittit; ipse legione classica — ea legio tertia erat — cum tribunis militum Teanum Sidicinum praemissa . . . . . . Canusium contendit.“ — In his verbis errorem inesse manifestum est eo potissimum, quod Livius discernit Marcelli milites, quos in classem scriptos habebat, a legione classica, quasi ea non in clas-

cantur praetoris legiones, in subsidiis proconsulis, ex verbis, quae leguntur: „Nec diutius tenuisset, ni ex subsidiis tertia decima legio in primam aciem inducta proelium dubium excepisset“, apparet, tertiam decimam legionem proconsulis fuisse. In subsidiis etiam legionem undecimam stetisse, haec verba Livii indicare mihi videntur: „Hastati legionis undecimae conglobant sese, atque elephantos jam peditum aciem turbantes invadunt“; ex quibus discimus, etiam legionem undecimam tum demum proelium iniisse, cum copiae, in quarum subsidium locata erat, cederent loco. — Duodecimam legionem praetoris fuisse, cognoscitur ex his verbis: „Duo milia et trecenti de exercitu praetoris, pars multo maxima ex legione duodecima amissi.“

sem scripta esset[12]). Ceterum legio tertia hoc anno inter Cannenses erat (22, 53), et quod Livius dicit, Marcellum legionem tertiam „cum tribunis militum“ Teanum Sidicinum misisse, aliquo modo cohaerere videtur cum eo, quod tribuni militum cum laude commemorantur paullo antea (22,53). Quomodo Marcellus post puguam Cannensem urbem tutari conatus sit, ex hoc Livii loco cognosci non potest; is fontem suum plane non intellexisse videtur. Sed auctorem Livii hic non de legione tertia classica, sed de legione tertia Cannensi dixisse, inde aliquam verisimilitudinis speciem accipit, quod, cum in milites Cannenses statutum esset, ut in Siciliam relegarentur, de M. Claudii Marcelli exercitu legitur (23,31): „Ad veterem exercitum accipiendum deducendumque inde in Siciliam Ti. Maecilius Crato . . . est missus.“ Videtur igitur totus Marcelli exercitus ex militibus Cannensibus constitisse, neque legio classica in eo fuisse.

Utut res se habet, tam dubio loco opinio nostra non refutatur.

Neque majoris momenti est is numerus, quem Livius tribuit alteri legionum Cn. Fulvii Flacci praetoris, (25, 2),

12) Ceterum ne id quidem constat, num Livii solius culpa hic locus (22, 57) corruptus sit. Nam in codice Puteaneo legitur „classisca“ pro „classica“.

quam altero loco posuimus. Nam is numerus insertus est descriptioni pugnae, quae valde suspecta est propter similitudinem ejus, quae describitur 27, 1. Non solum pugnatur eodem loco — apud Herdoneam —, sed etiam ambo duces Romani nominantur Cn. Fulvii, ambo Hannibali occasionem victoriae neglegentia et temeritate dederunt. Utraque occasio Hannibali ab incolis nuntiatur, cum in longe alia regione Italiae rem gereret; utriusque exercitus reliquiae in Siciliam relegantur ad supplendas Cannenses legiones. (26, 1. 27, 7). — Haec similitudo, ut ipsa est admodum suspecta, fidem abrogare mihi videtur numero legionis Fulvii, quam Livius primam vocat. —

Id tamen inter errorem, qui hoc loco commissus esse videtur, et quem in Liv. 22, 57 esse demonstravi, interest, quod hoc loco error non est Livii, sed ejus, ex quo ambo locos sumpsit. Nam Livium similitudo harum pugnarum non fugit[13]).

Restat ea legio P. Cornelii Scipionis Africani, quae, quamquam Scipio, in cujus exercitu erat, non erat consul, ab Livio quarta nominatur (26, 48). Qui numerus quomodo sit explicandus, nescire me confiteor, cum in

[13]) Liv. 27, 1: „Ipse in Fulvii simulitudinem nominis, quia Cn. Fulvium praetorem biennio ante in iisdem devicerat locis, increpans, similem eventum pugnae fore affirmabat.“

ea parte libri vigesimi sexti, ubi hic numerus legitur, nequaquam suspicionis causae insint similes iis, quas in superioribus numeris ambobus esse ostendi. — Sed cum hic solus numerus pugnet cum lege, quae, jam per se vix dubia, ceteris numeris legionum omnibus confirmatur, etiam in hoc numero inesse errorem statuere malim, quam concedere, in Scipionis exercitu hoc anno revera fuisse legionem quartam. —

§ 7.

Postquam legiones consulares et non consulares seorsim percensuimus et earum numeros, quantum fieri potest, circumsripsimus, restat, ut ostendatur, quatenus id, quod contendimus ex historia earum legionum, quarum numeri ex pluribus annis nobis traditi sunt, confirmetur.

1. M. Claudius Marcellus, cos. 544 legiones suas accepit aut ex Etruria, aut ex Gallia — nam harum provinciarum exercitus consulibus anni 544 decreti sunt (26, 28), neque dijudicari postest, quomodo eos inter se consules diviserint.

Nominantur autem hae legiones Marcelli prima et tertia 27,2. — In annum insequentem (545) Marcello

imperium prorogatum est eaedemque legiones decretae sunt;[14]) quae eo anno duodevicesima et vicesima fuisse narrantur a Livio 27, 12. 14., id quod luculentissime ostendit, legiones, quae quattuor primis adnumerabantur, cum consul iis praesset, numeros majores quam quattuor accepisse, cum proconsulem ducem, etsi eumdem, quem priore anno, haberent. — Marcellus etiam insequenti anno iis legionibus praefuit[15]), quo rursus consul fuit, legiones ejus igitur inter quattuor primas ductas esse credendum est, etsi, quos numeros gesserint, nescimus. —

2. Anno 547 M. Livius Salinator consul jussu senatus conscripsit volones in undevicesimam et vicesimam legiones (27, 38), quas C. Terentio Varroni propraetori Etruriae[16]) tradidit. In Etruria anno insequenti has legiones continebat M. Livius Salinator[16])

14) 27, 7: „M. Claudio prorogatum in annum imperium . . . . . .“ „M. Marcello, quibus consul rem gesserat, decretae legiones“.

15) Liv. 27, 22: „Consulibus (a. 546) duo consulum prioris anni exercitus — tertius Venusiae tum erat, cui Marcellus praefuerat — decreti, ita ut ex tribus eligerent duo, quos vellent“. 27, 25: „Consulum alter T. Quinctius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fulvius Flaccus habuerat, in Lucanos est profectus . . . . . (Marrcellus) ad exercitum, quem priore anno Venusiae reliquerat, proficiscitur.“

16) 28, 10: „In Etruria duas volonum legiones a C. Terentio propraetore M. Livius proconsul, cui prorogatum in annum imperium erat, acciperet.“

proconsul, cui in annum 549 prorogatae sunt[17]). Cum hoc anno Mago, frater Hannibalis, in Italiam trajiceret, neque Sp. Lucretius praetor, qui Galliam provinciam sortitus erat, solus provinciam tueri posse videretur, senatus „M. Livium proconsulem ex Etruria volonum exercitum admovere Ariminum jussit[18]). Galliam provinciam in annum 550 sertitus est L. Scribonius Libo praetor, „M. Livio et Sp. Lucretio cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliae praesidio fuissent, prorogatum imperium est“ [19]).

Sed eodem anno M. Livius censor erat[20]); Galliam provinciam obtinuerunt Scribonius Libo et Sp. Lucretius[21]); videtur igitur Libo in Livii locum successisse, cum is censor creatus Romam regrederetur. — Sequenti anno (551) L. Scribonio Liboni successit M. Cornelius Cethegus proconsul, Sp. Lucretio P. Quinctilius Varus praetor[22]). Quorum legiones, quos numeros gesserint, discitur ex Livio (30,18). Habebat enim M. Cornelius Cethegus undecimam et decimam

17) 28, 45: „Ceteris praeter consules praetoresque, qui exercitibus provinciisqne praefuturi erant, prorogata imperia.“

18) 28, 46.

19) 29, 13.

20) 29, 37.

21) 30, 1.

22) 30, 1.

tertiam, Quinctilius Varus duodecimam[23]). Itaque eaedem legiones, quae anno 547 sunt undevicesima et vicesima, anno 551 nominantur undecima et decima tertia; id quod, quamquam non praebet exemplum numerorum ita mutatorum, ut pro numeris legionum non consularium numeri consularium inditi sint, tamen ideo est memorabile, quod inde discimus, etiamsi legiones non consulares non traderentur consuli, sed praetori aut magistratui, cui imperium prorogatum erat, earum numeros quotannis esse mutatos, prout res postulabant, neque unquam fieri potuisse, ut respublica Romana haberet legionem vicesimam eo anno, quo viginti legiones omnino non fuerunt.

Plures legiones, quarum numeri ex diversis annis nobis traditi sint, non inveni. Ceterae, quae supra enumeratae sunt, aut eodem anno, quo conscriptae sunt, rursus sunt dimissae, aut quos numeros postea gesserint, non traditur. Sed haec exempla, quamquam sunt perpauca, tam egregie cadunt in nostram opinionem, ut ea pro certa habenda esse videatur.

23) Alteram Quinctilii legionem Livius non nominat. Qua de causa Cornelio potissimum legionem undecimam et decimam tertiam, Varo duodecimam assignaverim, vide p. 19, adn. 11.

§ 8.

Restat, ut quaeratur, num in numerandis iis legionibus, quibus consules non praeerant, certa lex inveniatur.

Satis notum est, eo tempore, de quo per totam hanc disputationem diximus, Romanos legiones eo misisse, ubi bellum esset, eas deduxisse, ubi debellatum esset, neque ante aetatem imperatoriam certa praesidia per provincias disposita esse. Sed in nonnullis regionibus tam diu bellum gestum est, ut legiones inde non deducerentur per multos annos. Sic in Hispania legiones Romanae erant per totum spatium temporis, quod Livii decades tertia, quarta, quinta amplectuntur, exceptis annis 554—558. In Gallia legiones Romanae erant 540 (539?)—554.

in Etruria 542—553,
in Campania 541—550,
in Sicilia 539 (538?)—554,
in Sardinia 539—554.

Itaque quaerere licet, num forte in numerandis legionibus ratio habita sit regionum, per quas disponerentur.

Quomodo eae legiones, quibus consules non praeerant et quarum numeri nobis traditi sunt, dispositae sint per provincias ex hoc laterculo intelligitur:

	Gallia.	Etruria.	Campania.	Apulia.	Sicilia.	Hispania.
543			VI.			
544				V, VI.		
545				XIIX, XX.		
547		XIX, XX.				
549						XII, XIII.
550					V, VI.	
551	XI XII XIII					
569						V, VIII.
573						V, VII.

Nemo ex hoc laterculo dijudicabit, qua lege legiones dispositae sint. — Neque in tanta paucitate numerorum nobis traditorum ullam aliam legem invenire potui, qua legionibus praetorum aut propraetorum aut proconsulum numeri adsignati sint.

ARGUMENTUM.

§ 1. Numeri legionum Romanarum quam habuerint vim atque naturam.

§ 2. De diversitatibus nonnullis, quae intercesserunt inter legiones quattuor primas.

§ 3. De legionum quattuor primarum divisione.

§ 4. Quam fidem habeant numeri legionum Romanarum, quae apud Livium leguntur.

§ 5. De legionum consularium numeris.

§ 6. De numeris legionum non consularium.

§ 7. De iis legionibus, quarum numeri ex pluribus annis nobis traditi sunt.

§ 8. Qua lege legionibus non consularibus inditi sint numeri.

VITA.

Natus sum Franciscus Gessler in pago Borussiae occidentalis, cui nomen est Ottlau minori, die VIII mens. Febr. a. MDCCCXLIV patre Henrico Gessler, matre Friederica e gente Wichert. Fidei addictus sum evangelicae. Frequentavi gymnasium Elbingense per sex annos, et maturitatis testimonio impetrato adii academiam Regiomontanam, ubi per sex menses scholis interfui Lehrsii, Friedlaenderi, Rosenkranzii, Ueberwegii. Tum civibus academiae Berolinensis adscriptus, per sexies sex menses audivi Boeckhium, Geppertum, Gruppium, Hauptium, Kirchhoffium, Mommsenum, de Raumerum, Steinthalium et frequentavi per quinquies sex menses exercitationes antiquarias Mommseni, cujus totum est, quod in literis profeci.

THESES.

I. Post secundi belli Macedonici finem demum lege cautum esse, ut tribuni militum legionum quattuor primarum a populo crearentur.

II. Verba Orosii (IV, 8. pagina 264 ed. Havercamp) „Sequenti anno M. Claudius Marcellus consul ab Hannibale cum exercitu occisus est", non esse delenda.

III. Sine juris privati Romani scientia historiam reipublicae Romanae intelligi non posse.

IV. Eutropium I, 19 et 20 in annis numerandis eos annos omisisse, quibus tribuni militares consulari potestate reipublicae Romanae praeerant.